

ius aculei albicant) conspiciuntur: venter candidus est. Initium pinnarum ad Branchias rubet, etc. Raro longior fit, quam figura ostendit. Quoquomodo paratus, in cibo optimus est.

PVNGITIVM Alberti, Rondeletius *aculeatum* vocat. Author de rerum natura *Spinochiam*. Pisciculus est, inquit Albertus, minimus, qui

lanceolas (aculeos) binas habet in radicibus pinnarum ventris. *Mas* sub gutture rubet, *foemina* rubore caret. *Squammas* non habent. Piscatores hoc genus piscium sponte *generari* ajunt, et ex ipsis alios omnes, hac observatione inducti, quod in lacunis novis primo statim anno inveniantur, et postea sequentibus annis pisces alii diversi, quanquam nulli fuerint immissi.

CAPVT IV.

De Alburno Ausonii et Epelano fluviatili.

TAB. XXIX.
13.
Bellon. Aq.
1.1.
Aldrov. l. 5.
6. 37. et 38.

ALBURNI meminit in sua Mosella privatim Ausonius. Bellonius circa Vercellas in amne Lagogna Ticinum influenti, *Scavardinum* a piscatoribus appellari scribit, Germani *Weißfischlein*, et *Notaugen*, id est, *εὐ-θρόφθαλμον* dicunt. Piscis est et fluviatilis et lacustris, Alphyis albis similis, oculis magnis, rubescentibus, dorso virescente, ventre candido. Bellonius lineam utrinque esse ait arcuatam, quae ejus latera dividat. Sed Rondel. duabus distingui profitetur, altera a branchiis ad caudam ducta, medium corpus dirimi: alteram minus evidentem a radice pinnae branchiarum orta deficere, priusquam ad caudam perducta sit. *Nare* est parum resima. Pinnae easdem habet quas Gobio. Capite est parvo: corpore latiusculo, sed depresso, vixque ad duorum digitorum latitudinem extenditur. *Felle* caret. Argenteis tegitur *squamis* ac tenuibus. Carne est molli et parum pingui. *Vorax* est piscis, quam ob causam facile hamo capitur; unde Ausonius praedam puerilibus hamis, recte dixit. Observavi Alburni duas alias species, quarum prior tergore fere ad casta-

neae colorem vergit: altera ad coeruleum. Vtriusque pinnae et cauda etiam ad castaneum vergunt. Caetera argenteo colore resplendent.

EPELANVM fluviatilem Bellonius Sequanicum cognominat, a Galliae fluvio, ubi abundat, additque sic vocari quasi excellanum a praestantia, quae caeteros sui generis pisciculos excedit. Ferrarienses *Borbolum* vocant, Alburno simillimum atque hoc tantum ab eo dissidentem, quod rufas radices pinnarum Gardonis et Veronis modo habet, ac lineam quae latera ejus fecat, versus caudam admodum inflexam et velut arcuatam. Quinque digitorum longitudinem, pollicis latitudinem interdum exuperat. Pisciculus est *odoratus*, de bonitate et principatu cum aliis omnibus contendens. Rothomagenes *Ovellam* eo argumento nominant, quod semper ovis praegnans sit. Epelanum si suas *Squammas* habentem conspicias, prae nimia albedinis tersitudine tibi refulgere videbitur. Squammis autem exutus *tergus* ostendit variis coloribus emicans, in iridis aut arcus coelestis morem. Marino crassior est et brevior.

TAB.
XXVIII. 17.

CAPVT V.

De Lucio.

TAB. XXIX.
1.
Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 39.

LUCIUS vel *παγὸς τῆς λύκας* a lupo, vel a lucendo dictus est. Nulla ejus apud veteres Graecos mentio, ut ostendit egregie contra Philelphum Salviianus. Oxyrinchus Niloticus quod Bellonius vult dici posset, nisi Plutarchus eundem marinum, tanquam e mari Nilum intraret, faceret.

Efocem Plinii, quem in Rheno magnitudine excellere putat, haud difficulter concedi potest, et videtur abinde Belgicum Snock originem suam traxisse. Apud Anglos et Gallos diversa, pro diversitate aetatum, sortitur nomina. Corporis figura oblonga est, eademque ideo oblongior vide-